Deo opt. max. uni & trino, Virgini Deiparæ, & S. Lucæ Orthodoxorum Medicorum Patrono. 1288

QVÆSTIO MEDICA

CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA

IN SCHOLIS MEDICORVM DIE JOVIS XXI. MARTIS.

M. FRANCISCO SORAND Doctore Medico, Præside.

An à pastu frigescere salubre?

VIVENTI, ut sit, alimenti necessitas nulla, quæ ad vitam princeps jugisque, sive audiat hæc Philosopho, animæ nutritivæ permansio in Calido: sive Galeno φυσοσυστάσεως, ejusdem in corpore ἐνέργεια: quæ avidi Caloris Elementari οὐσίᾳ, gemina caducæ substantiæ & virtutis damna, familiaris similisque alimenti ὄγκῳ & δυνάμει, cum nequeat ex æquo, quoquomodo sarciat ac reparet. Viventi quidem sors illa communis omni, par verò nulli, quia non una, nec unius, nec ad unum: quanquam sine cibo tantulùm durare vita nonnunquam potest, sine alimento omninò nequit, quidquid fecùs audieris, si naturam ut decet auscultes, erit fabula. Ferias scilicet Esuriales in homine quantumvis robusto ac beuè valente septimo die Libitina claudit, in debili dubiæ vel infidæ valetudinis fati diem (quod mirere) in undecimum insolenni prorogatione diffindit. Sic τὰ φωλεύοντα, mytuli, cochleæ, cæteraque gentis cognatæ ζωόφυτα, per brumam suo succo victitant, glires ex abundanti cædunt saginam dormiendo. Stirpium verò nonnullæ, pingui lentoque humore habitiores, calore aliquin edentulo, ubere glebæ depulsæ, jejunæ de se vivunt, interdumque durant annotinæ, sicuti bulbosæ, tuberosæ, κεφαλοβλαβεῖς. Τὰ φλοιοτροφῆ non item, quæ ἐπέτεια sive vitæ brevioris. Seminibus anniculis, bimis, trimis, vita pertinaciot non ultra quadrimatum porrigitur.

QUOD Plantæ viventium Primitiæ salubriùs vitam vivant, vivaciùs protollant, unius ortus est, naturæque singulariopetrogativa: quâ gratuitò solidoque almæ telluris beneficio, paratu nullo, simplicissimum, at mixtum, nec de vivente, cæterà cognatum, sibique prorsùs totius substantiæ similitudine mox conjungendum alimentum inveniunt, non faciunt. Hinc eodem ex fundo succos pariles sibi prolectat glycyrrhisa dulces, absinthium amaros, tithymalus, euphorbium acres, aciaos ὄξεαξ, austeros mespilus, salsos Kali, blitum insipidos, quædam φαρμακώδεις, totidem primorum corporum primùm parturientis mixturæ ἔκγονα. Nullâ idcirco coctionis secretionisque operâ desideratâ, unico unionis studio continenter allaborant, quæ sola, ut consummat opus nutritionis, ita hujus opem beat, cæterisque illas præstat vitæ salubrioris castigatiore usu fœcundiores. Quocirca nullis oppidò laboriosæ ἐργασίας officiis, vel peccatis obnoxiæ illæ, sine tam multa instrumentorum supellectile fœliciùs degunt, nunquam utili succo graves, vel ægræ excrementis, integra ferè sinceraque quôvis sub cœlo naturæ suæ jura tuentur & repræsentant, nec nisi uno nulli non viventium fatali ἀνάγκης morbo, nullâ suâ culpâ, vix tandem emorituræ. At longè multò negotiosior, hocque ipso vitiosior animalibus incumbit hæc animæ vegetantis λειτουργία, quæ omnes ideo naturæ copias in se convertit, facitque quotidianâ curâ impeditiorem, damnis implet majoribus, onerat frequentioribus querelis, ejusque sæpenumerò frustratur vota, sæpiùs minuit, aut corrumpit pauperculus ille operarius nativus calor.

IN quærendo Cibo agendoque hujus delectu, Bruta primus Labor haud improbus occupat, quibus nempe pro duce & norma, velut νόμος quidam ἔμφυτος, rectus ille erroreque nullo in τὰ πρῶτα κατὰ φύσιν datus impetus, seu mavelis instinctus Naturalis, quo destitutus homo, ut pote sui factus mancipij, sibique relictus rerum Dominus, aut quod verius, Rerum Domini libertinus, soluriore vindictæ, quanquam dignioris, Licentiâ atque Lascivià in rem suam perditissimè abutendo delinquit, quum obvia quæque in collativum ventrem æquo plenius, inconsideratiùs, intempestiviùs, ordine nullo, nullo discrimine ingerit, nec expectato Naturæ δικαιοπάτης portisculo, ad ejus demensum vivere, gulæ impatientis actus intemperiis sustinet. His ille, munus coctionis præ reliquis, animantibus adeò laboriosum, unius Cibi aliàs bonæ frugi, cruditate aut corruptela sibi majore molestiâ apparat difficillimum. Meliùs nempe subductâ salubrioris victus ratione præire debuerat ex usu vitæ nata penuria partium alendarum, famem utramque, sanis quàm ægris sinceriorem, quôvis Apitio jucundiùs simul & sanius opsonatura: inde sequi deperditæ substantiæ restituendæ appetitio Naturalis: Exin rasi ventris μύζησις; mox sensus hujus: & ab eo tandem animalis appetentia, quæ una famis animalis importat sensum, sollicitatque idoneum & justum alendis partibus commeatum. Quamobrem omnium maximè hominem urget χυλώσεως cura prior, eôque gravior quò operosior Cibus paratior errori, neque exinde deinceps redimendo, totam ergo ut se addat Natura operi est pretium operæ, quæ nec otiosa unquam, nec suarum rerum incuriosa, vel defutura necessariis πυρὶ ἐφιζάνει πάντα.

NÆ illis igitur malè sanis, corruptâ Coi veteris nobili salivâ acidum ructantibus palatum exsurdavit novitiò suò ineptè imaginosus commentò νόος ille Περιπατητικὸς Virsungus, acidique canalis & succi, qui cibos eliquet solidiores, fabulam dedit, cujus fontes nec vires intelligunt, aut sapiunt studiosiùs venati hujus ævi Lymphatici aquileges: è quibus alij falsum prædicant, fatuum & insulsum alij, etiamnum ubi cubet ille alij requirunt. Acidi namque, ut & universæ saporum gentis, vis omnis precaria de Elementis nata, inimica vitæ, uni apta medicinæ, nullius nisi morbidæ famis causa, eò inofficiosior χυμὸν, quò non in metalla solùm, alimonio ineptissima; sed in præhumidos & pingues cibos, etiam extorta Chymicæ ustrinæ tormentis ignavo morsu frangit genuinum, quos Nativus calor suis viribus εἰς ταχὺν & ἀκακιμενὸν bellè conficit. Hunc tamen eo nomine tot & tanta patrare εὐγενέσεως & διακρίσεως in vivente miracula, solidâ vi Elementi sui, erras si existimes. Major agit virtus, haud naturæ sed unius animæ vegetantis, quæ in vitalem modum ignem hunc temperatum, de incendiario beneficum, de decoctore gnavum artificem, omnibus accuratum aptumque officiis, huic in primis habilem operi, deditumque præfecit, cujus pensi est, in succum alimentarium, uniusmodi suique specie simílem Cibaria omnigena, intestinis licet odiis abalienata, & σαπίζοντα demutare, quæ præmansa ore, extenuata & permolita dentibus, alvus παυδέκτασις, receptaculum & πανδοχεῖον priorque focus Naturalis Officinæ, ubi sinu excepit & condidit, statim complexa constringit, cogit, confundit, segregat, eoque in negotio tota vacat exterendis illis, conficiendisque, neque uno ventre repastinandis, in ἀκανθοφάγοις ruminantibus. Adeò Luculento igne ex naturæ indulgentia, situsque commoditate, suò priùs quàm usurario calet ventriculus, tunicis crassis contextus, quæ defectæ χυλώσεως conscia, si graciliores; corporis positus in medio: sub tecto & aprico vitalium: jecoris inter amplexus: quà regnat calor dextroversum inclinat, omento ceu lodice tectus; cavâ venâ, aortâ, musculis spinalibus uti culcitrâ recumbit, deque Coli oleto, etiam innoxiè, viget & fovetur.

VERUMTAMEN dum hôc igne domestico juxta, & precariò sicfumant ventris focula, coctionisque operi agnoscis sese accingentis animæ vires undique colligi, ac velut indictò quodam Justitiò, Caloris & Spiritus ultrò citróque commeantis exercita priùs commercia minui, sustinerive, solvi statione excubias, in viscera tanquam de Paganico in Principia coire vides & revocari, exeoque horridulâ commotiunculâ corpus universum de subitò concuti percellique, artus frigere. Utrique sic vago & desultorio, κακοποιὸν dicam injuriâ impegeris? vel ausis adeò fidos & assiduos primæ admissionis ministros summovere de familia fundatissima animæ vegetantis; non unius ille calor spiritusque scriptus est ordinis, originis, aut provinciæ. Stationarius alter unus ἀρχέγονος, veluti Naturalis vitalisque fundi & glebæ ascriptitius, neque aliò usquam abducendus verna solidis partibus insidet & tenetur. Huic succenturiatus alter, velut Naturæ Colonus & Mediastinus, itque reditque viam, totus sub nutu nexuque animæ & phantasiæ, quarum addictus obsequiis, de naturali, vitalique depromptus foco, quam jubetur, & quo jubetur migrat, insluit, hæret, revocatur, agiturque æstu alternante triplicique periodo πρὸς τὸ κοῖλα viscerum, πρὸς τὸν ἔξω περίοδον corporis ambitu circumscripta, tum mixtâ & mediâ & ἔσω & ἔξω sensuum animalisque potentiæ devota satellitio. Attende ut permutatis stationum vicibus Natura, nescia τοῦ ἀπαμφοτερίζειν, opera sua quum dividit, non minuit beneficia, seu publicæ rei, seu privatæ serviat. Viden ut vitalis hujus caloris accessu, recessuque, somni ac vigiliarum, cujuscumque coctionis excretionisque vices temperat & moderatur: Ut illò in viscera profugò, vehementiùs, citatiùs, plenius micant venæ, somnum sorbillanti quàm vigili, noctu quam interdiu, perbenè pransis quàm jejunis, sobriis & siccis: expiratione quinetiam, quæ celeritate & magnitudine superat, potior tum adurget inspiratio; quæque aliàs extremis frigentibus funesta fiunt morituris, convalantis suoque Lare exulantis animæ documenta; sanis, ægris, causariis τεκμήρια veniunt certiora, Naturæ rebus suis diligentiùs operatæ, vacantis studiosiùs, & majore vi in sua vota conantis, adhibitò calore illò unò & suò, qui ad solidam, vivacemque salubritatem, majoresque præcipuorum munerum vindicias, plurimus semper debet esse, nimius nunquam potest.

Ergo à pastu frigescere salubre.

F.M.P. BIBLIOTHÈQUE

Proponebat Lutetiæ PETRVS BONNET, Parisinus. A. R. S. H. 1675.